DE PSEVDOPARALYSI SEV DE VARIETATIBVS PARALYSIS GENERALIS SANABILIBVS.

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICO-PSYCHIATRICA

QVAM

CONSENSV ET AUCTORITATE GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS IN ALMA REGIA LITTERARVM VNIVERSITATE FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA

AD SVMMOS

IN MEDICINA ET CHIRVRGIA HONORES

RITE IMPETRANDOS SCRIPSIT

ET VNA CVM THESIBVS ADIECTIS

DIE VIII. MENSIS AVGVSTI MDCCCLXIII

PVBLICE DEFENDET

CHRIST. GVILEL. ERNST. ALFREDVS ALBERS.

RHENANUS.

ADVERSARIORVM PARTES SVSCIPIENT:

ANT. WOLTER DR. MED. ET CHIRVRG.

JOSEPH. SIMROCK DD. MED. ET CHIRVRG.

CAROLVS WAEGENER DD. MED. ET CHIRVRG.

BONNAE

TYPIS FRIDERICI KRVEGERI.

PATRI CARISSIMO ET DILECTISSIMO

D. D. D.

FILIVS.

Incrementa, quibus recentioribus temporibus medicina aucta est, et psychiatriae quoque haud exignos fructus attulerunt. Inde ex medio saeculi decimi octavi pathologiae psychiatricae e studiis Gredingi Arnoldii, Langermannique fontes meri redundarunt. Hi fuerunt primi, qui symptomatum caussis atque cadaverum sectionibus lunaticorum operam navarunt. Reilius non solum studiis acutissimis, quibus aegrotorum talium historias persecutus est, sed etiam nervorum physiologiae et anatomiae psychiatriae magnum adjumentum adduxit. Eodem fere tempore Pinelius maniacorum pathologiam novo lumine perlustravit eorumque catenas solvit. Dementiae vero studium postremis demum annis inchoatum est. Eius varietatem peculiarem, quae paralysis generalis nominatur, nostris diebus singulari assiduitate ambierunt.

Haslamius anno 1798 eam describere molitus est, sed imaginem veram eius Baylius a. 1822 depinxit et pathologiae locum constituit. Medicorum communis opinio eam multorum processuum pathologicorum exitum habebat, eamque pathologiae speciem negabat. Annis nonnullis elapsis Baillarger (annales medico-psychologiques, tome VIII, pag. 424. r. IX. p. 331) et Leunier, Januar- und Februarheft derselben Zeitschrift 1849, eam inter lunaticos morbos enumerare noluerunt, quum eam hydrencephalo chronico adultorum senilique paralysi affinem habebant. Quam ob caussam

quia paralysis generalis et in mente sanis observabatur et dementiae anteibat, et paralysin generalem et epilepsiam et hysteriam inter lunaticos morbos numerare noluerunt. Friedericus Hoffmannus duobus libellis de paralysi generali conscriptis ei locum inter morbos lunaticos vindicare studuit. His enim libellis demonstrare conatus est delirium illud, quod paralysi est signum pathognomicum, paralysi anteire demonstravit, bene perspiciens et observationibus adductus lunaticum morbum in morbo somatico caussas et radices exhibere. Hoffmannus paralysin generalem hoc modo descripsit: Paralysis generalis lunaticorum est morbus chronicus, cuius symptomata: „loquela gravis aut impedita, paralysis membrorum progressiva et idea virium, immensarum divitiarum ordinisque altioris. Primum musculorum motus spontaneos ratione recte inita definivit paresin generalem musculorum animalium (sine mentis functione alienata) conjunctam cum hepetudine quadam mentis, quum singulae mentis functiones parum depravatae apparerent earum autem functiones associatae quandam hepetu dinem offerrent; deinde argumentatur haec symptomata stipari hilari exaltata mentis dispositione sine idea virium praevalentium et divitiarum, tum quoddam stadium transitorium esse et tandem hilarem et exaltatam dispositionem conjunctam cum idea divitiarum et virium praevalentium.“ Si symptomata paralysis generalis accuratius perscrutamnr, apparet, eam saepius occurrere in viris XXX—L annorum, id est in aetate vigoris corporis ac mentis, in feminis ejusdem fere aetatis sed rarius obvenire. Hereditaria dispositio in tertia aut quarta parte paralyticorum invenitur, ergo in his rarius observatur, quam in ceteris vesanis. Hoffmannus invenit in triginta octo paralyticis hereditarium dispositionem

1) uti in vesanis in „duobus.“
2) Arthriditem et Rheumatismum in decem.
3) Musculorum excessivum laborem et perfrictionem in sex;
4) hepatis morbos in sex;

5) haemorrhoides in tribus;
6) renum atque vesicae morbos in uno;
7) intermittentem comitatam in uno;
8) cerebri atque cerebralium nervorum morbos organicos in sex;
9) epilepsiam in tribus;
10) maniam in quatuor;
11) irregularem pubescentiam in duobus;
12) menstrua anomala in quatuor;
13) dipsomaniam in tribus;
14) psychicam irritabilitatem in septem;
15) psychicas caussas occasionales in undecim;
16) causas cerebrum afficientes et non afficientes pari fere ratione.

Quod prodromos paralysis generalis attinet, „de Croizant" in decem casibus anaesthesiam cutaneam completam observavit, quae paralysi ipsa orta evanescit. In uno casu anaesthesiam vesania ipsa secuta est. Lunierus hoc symptoma inconstans esse putat, Hoffmannus id quoque toties, quoties „de Croizant" observavit, quamquam in locali parelsi anaesthesiam partium decursum nervorum sequentem vidit, ea quidem ratione, qua in paralyticis sine vesania cum motu quoque sensus ad tempus evanescit. Plerumque prodromi somatici in metamorphosi morbi dyscrasici positi esse videntur, qui viscerum stearosin interdum quoque in depositis fixis tuberculosi contrariis et nomina varia habentibus producit quoad transsudata in arthros profluviis sanguineis venosis accedunt. Fit interdum, ut morbus in metastasi neuroseos et praecipue neuralgiae constet. Cadaveris dissectio in utroque casu fere idem exhibet. In morbo primum orto postquam transiit, restant quaedam signa indistincta et obscura, quae paullatim cerebri alienatae structurae adscribi permittunt; cerebrum itaque finis atque terminus est, in quem processus morbosi omnes tandem tendunt. Psychica symptomata granditatis maniae — Grössenwahn — inter se similia sunt et difficile est (ad) ea discernenda, quae ad sanitatem quaeve

ad morbum pertineant. Primum plerumque apparent illa psychica symptomata, interdum simul cum somaticis conjuncta esse videntur. His frequentissime melancholia praecedit, interdum fere mania, insania moralis, stupiditas et sensus alienationes adsunt. Potatorum supra modum excedentium, stultorum insania agitans, mania, in maniam granditatis transit. Tandem caussae intensitatem respiciendam esse censemus, inter quas eminent terror, capitis vulnera, perfrigerium, fatigatio exhauriens, mercurius, hydropathia et sensorium commune, carbonum vaporibus maxime alienatum. Hoc duobus in casibus observavimus.

Si anamnesis apertas caussas non exhibet, duo sunt tum consideranda: Primum: si Paralysis partium singularum decursum neuroseos indicat, tum paralysis symptoma primarium animi debilitas subito effectu excellens antea aderat. Secundo: Idem praesumere debemus, si morbus legem psychoseos evolventis sequitur aut e similibus psychicis conditionibus quae formis elementaribus similium animi morborum correspondent, originem ducit. Stadium melancholicum certum iudicium vix effert, dispositio ad suicidium tam n non adest. Memoratu dignae sunt diversae inclinationes aut dispositiones, quae haberi possunt paralyseos prodromi. Inter centum et tres aegrotos quinquaginta septem vagabundi, sex loquaces duodecem potatores, sex devastatores, dispositio ad vim inferendam apud quatuor, inter hos duo viri religiosis ideis ad trucidandum dispositi, dispositio ad emendum, furtum faciendum, ad pecunias effundendum apud triginta duo aderat Commemoranda est Damerowii opinio de dispositione ad furtum faciendum, quam in dispositione ad devastatationem haerere putat; observavit enim redeuntem dispositionem ad furtum faciendum simul cum dispositione ad devastationem evanescente. In triginti duobus aegrotis undevigities dispositionem ad furtum facien-observabatur. Ex his tredecim mania laborarant, quae cum mania granditatis et paralysi mentis et conscientiae

coniuncta erat. Paralytici impedimenta externa vix aestumant, agentes ac si ea non adessent omnemque ipsorum cautelam negligentes. *Pohl* (Danzig) cuius mortem ante duos annos magnopere ploravimus in libellis suis anatomicis huius morbi varietatem commemorat.

Mania cum paralysi cum cerebrali anaesthesia et delirio tremente iuste comparatur eo magis, quod cum his saepe simul adest. Accedit, qued in delirio quoque tactus halucinationes observantur, uti de Croizant affirmat. Tactus hallucinationes Günsburgius in typho tardioris decursus observavit, ut sunt aeris moventis sensus, et is sensus, ex quo aegrotus se duplicem esse sentiebat. Hunc sensum ad caloris in diversis corporis partibus differentiam referendam esse nuperrime contenditur. Quod ad maniam granditatis attinet, ea continet fere omnia, quae in delirio obveniunt, uti hallucinationes et cupidines alienatae. Haec omnia quidem in paralysi generali observantur, quae si occurrit, in sanationem non transit. Occurrunt nobis autem aegroti, qui symptomata et decursum morbi exhibent, qualia in paralysi generali insanabili observantur, attamen curationem permittunt et in sanationem transeunt. Talium aegrotorum historia non satis est, exposita et libelli huius est eam paullo accuratius pertractare. Hunc sanabilem paralysis generalis varietatem Hoffmannus commemorat enarrans casus, qui huc pertinent. Tales sunt primo casus vesaniae sanati et terrore exorti, secundo tales casus sanabiles, quae in potatoribus occurrunt; tertio huc pertinent vesaniae casus, ubi paralysis membrorum parum evoluta citius transit; quarto quoque illi casus ex typho orti vesaniae, in quibus delirium ex oedemate cerebri resorbili dependere videtur et paralysin generalem simulat; quinto casus occurrunt intoxicatione saturnina et sexto observantur casus in syphilide secundaria, si ea cerebrum affecit uti in nosocomio a patre instituto observavimus. Hoffmannus tales psychoseos casus descripsit, qui symptomata paralysis generalis exhibent, attamen sana-

tione insequente ab ea differunt. Hanc varietatem, quae paralysin generalem simulat, at sanatione ab ea differt, pseudoparalysin" vocari voluit.

Cum autem ea vera paralysis sit, quamquam sanatur eam liceat potius paralysin generalem sanabilem vocare, quippe quae morbi species paralysis generalis satis notae sanabiles sint.

Iam vero ennarrabo tales casus paralysis generalis sanatae, quos pro causis in diversa capita distribui quosque Hoffmanni directoris nosocomii Siegburgiensis, cuius mortem subitaneum ex sincero animo deploravimus, liberalitate e diarisis nooscomii Siegburgiensis sumere mihi concessum est, tertium vero patro debeo, et in illius nosocomio observari. Casus paralysis generalis sanabilis, sive pseudoporalysis:

Iohannes Aegidius L viginti sex annos natus Aquisgranensis. Cuius pater iuvenili aetate iam laborabat melancholia aeque ac avus et avunculus, qui mente sano minime valebant. Ipse aegrotus puer iam lunaticus priusquam mente plane alienatus est, tristitiam prae se ferebat, crebribus pollutionibus afficiebatur, vino et cerevisiae quam maxime indulgebat. Accedebat, ut saepissime ad vomendum inclinaret. Acerrima animi sollicitudine et perturbatione semel et iterum exorta, paullatim vehementissima dementia apparuit. Iam nonnullos dies priusquam aegrotus receptus est in nosocomium Siegburgiense, manifesta rachiticae formationis indicia inventa sunt, quae repetenda erant a thorace inclinato, a distantia infimae falsae costae in alae formam redactae, a modica pectoris vetebrarum scolosi ad sinistram coniuncta cum compensiva curva lumbalium vertebrarum ad dextram, postremo a voluminosa ventris forma. Ingressus est incertus, neque vero in ulla corporis parte debilitatio vel tremor adest, sensuum facultas aucta corporis capitisque temperies diminuta est. Facies pala et collapsa et continua agitatione mimica distorta apparet. Calvaria praebet fontanellas conspicuo depressas imprimis magnae minimamque frontis formationem. Exquisito pectore catarrhus cacuminum pulmonum invenitur; genitalia sana, testicula

parvula. Appetitus omnino tollitur vehementia delirii. Evacuatione quae quidem est quotidiana, aegrotus se inquinare solet. Pulsus mollis et magnus 66 ictum, et commotione acrius exorta in carotidibus vehementior est. Somnus plane deest. Delirium et id quidem, in quo imagines animo conceptae saepissime alternari solent, fere nunquam ab aegroto cedit, quamquam moderata affectus vehementia et intervallis tranquillis aegrotus cogitata et praeterita referre potest. In nimia virium suarum fictione et stolida sui fiducia omnes animi imagines positae sunt, quae tantae praesertim noctu evadunt, ut res animo conceptae vere existere oculisque obversari videantur. Modo se putat destinatum esse clarissimae gentis auctorem, cui sedes sit arx Siegburgiensis modo Germaniae imperatorem, modo quandam secundum vaticinationem vel etiam dei vicarium. Dolorum conceptiones non diu permanent sed brevi novis combinationibus mutantur.

Neque vero dolor vim exercet in priorem vitae conditionem aegroti, quippe intervallis tranquillis de illa cum fide referat.

Aetiologia huius animi aegrotationis duas causas prae se fert. I. Aegrotus a decimo quarto aetatis anno se masturbasse et tempore nuperrimo lupanaria frequentasse et interdiu noctuque sine voluntate semen emisisse narrat. II. Nimia cerevisiae potione superiore anno, quo masturbatione non amplius deditum se fuisse aeger dicit, vires debilitatas restituere studebat et ab aestate anni 1859 aquae vitae usque ad ebrietatem, indulgebat. Fortunae conditionis mercedis taedium, altercartio, rixae inter aegrum et herum exortae morbo antecedebant. Diagnosis furoris coniunctae cum insania et inclinatae quidem ad formam paralyticam facta est. Quae quum ita essent quaequam prognosin dubiam esse oportebat, attamen pro aegri iuventute et morbi brevitate, etsi forma erat inopportuna sperari potuit fore ut mentis insania tolleretur. Qua propter primum adhibebantur balnea calida cum prolongatione progressiva et fo-

mentationes frigidae capitis cibique praebebantur vires corroborantes. Ad musculorum vasorumque tonum recreandum haec praecipue dabantur:

Rp. Mixt. sulph. acid. ℨII
tinct. aromat. ℥β
aq. dest. ℥VI
sach. alb. ℥β
D. S. Viermal täglich 1 Esslöffel.

Aegrotus, primo tempore, quo versabatur Sigiburgii furibundus, insomnis mentisque non compos erat, quamvis interdum clariora momenta mens cepisse videretur ita ut interrogatus satis dilucide responderet. Decimo, quo receptus erat in nosocomium, die aeger mutus memoriaeque incompos inveniebatur; accedebat, ut nonnunquam totum corpus trepidatione convelleretur, quo spasmo manus plane contrahebantur. Auditus hallucinationibus fere continuis afficiebatur aeger, quae quum imagines conceptae sensus plerumque noverent modo stomachosum modo hilarem eum reddebant. Post decem dies torpens corpus et linguam obtectam aegrotus prae se tulit quo factum est, ut per nonnullos dies medicamentorum usus intermitteretur. Deinde hallucinationibus amplificatis quamquam appetitus maior erat, attamen viribus admodum debilitatus est.

Post XXV dies sordibus quam maxime indulgere coepit, ita ut urina uteretur ad lavandum vel eam demitteret in vestes; mente plane carebat. Post XIV dies quum optimis cibis nutriretur, coloratiorem quam antea iam praebebat speciem, cibos surripere studet militemque gloriosum prae se fert. Inde ab illo tempore iisdem remediis usus qui etiorem et placidiorem se gerit non nisi raro delirio laborat et angustias et gravitatem eorum queritur, quibuscum versatur.

Insequenti mense divitem puellam in matrimonium ducere se optare dicit. Tum in solium aquae frigidae desidere cogitur. Post nonnullos dies de corporis infirmitate, diminuta oculorum acie, vehementi cordis palpitatione, ner-

vorum tremore et genuum debilitate conqueritur. Tertio Augusti mensis die aegroti status eiusmodi commodior erat, ut apud typographum labores subire posset. Oculorum caligo, dolores frontis, insomnium sola adhuc restant signa morbi remoti. Balneis aquae vivae semel et iterum adhibitis insequenti mense aegrotus in valetudinem pristinam restitutus demitti potuit.

Similes casus pseudoparalysis fortiore etiam alcoholi intoxicatione exorti ab Hoffmannio descripti sunt. Vide: Günsburg, Zeitschrift für praktische Medizin etc.

„XII. Carl H. Kaufmann 36 J. alt, wird aufgenommen 3. November 1847. Von einem trunksüchtigen Vater und einer ihm bis zur Schwäche nachsichtigen Mutter ist kaum seine schon in früher Jugend aufschiessende lasterhafte Neigung beschränkt worden. Vor 6 Jahren hatte er den ersten, vor 2 Jahren den zweiten Anfall vom Säufer-Delirium. In der Zwischenzeit erlitt er eine Gehirnerschütterung durch einen Sturz von der Treppe. Im Juli und August 1847 wiederholte sich das Delirium tremens; vom 20. Aug. an entwickelt sich bei ihm der Grössenwahn, zu welchem später die Erscheinungen der unvollkommenen Muskellähmung sich gesellen. In der Leiche die Residuen einer dichten Arachnoiditis beider Platten."

XIII. Ernst F, 46 Jahre alt, unbeschäftigter Landwirth betritt das Haus am 19. August 1847. Er ist seines leichtsinnigen Lebenswandels wegen von seinem Vater enterbt worden, dem Trunk ergeben, und hat zu wiederholten Malen, zuletzt vor etwa 2 Jahren am Delirium tremens gelitten. Im vorigen Mai entwickelt sich nach Excessen im Branntweingenuss manacalische Aufregung. Ueber das Delirium wird folg. mitgetheilt: 1) Eine Menge von Hausbesitzern geht er an, ihm ihre Häuser zu verkaufen. Er will sie niederreissen, um auf dem wüsten Platz einen Garten einzurichten; 2) von dem Commis der Kaufmannswittwe S. verlangt er 150,000 Thlr. theils in Silber, theils in Papieren; 3) den Thierarzt S. fordert er auf, mit ihm nach

Arabien zu reisen und dort 40,000 Stück Pferde zu kaufen; 4) bei dem Riemer S. bestellt er auf einmal 40 Stück Pferdekummte; 5) von dem Oberfeuerwerker S. verlangt er einen Riss zu einem Schloss von 16 Etagen Höhe, welches er zu erbauen gedenkt, welches anstatt des Daches mit Schnee belegt und worauf ein Blumengarten angelegt werden soll. Bei seinem Eintritt in die Anstalt erscheint er blass und abgemagert, dabei heiter und guter Dinge. Die Verrichtungen sind regelmässig mit Ausnahme des Schlafs, der nur 2—3 Stunden dauert. Dass er geisteskrank sei oder gewesen sei, bestreitet er entschieden und sucht mit aller Gelassenheit seinen Wahn zu rechtfertigen. Am Morgen des 5. Sept. erklärt er: In der verflossenen Nacht habe er sich Alles genau überlegt; nun erkenne er, dass er und in wie fern er irre gewesen sei. Von nun an ist kein Symptom der Seelenstörung mehr zu bemerken; der Schlaf wird genügend. Vom 5. bis 28. October ist, ohne nachweisbare Veranlassung und ohne weitere Folgen die rechte Pupille auffallend erweitert. Am 13. Januar 1848 wieder als genesen beurlaubt."

In primo quod attulimus, exemplo vanam magnitudinis opinionem — Grössenwahn — vidimus subsequentem delirium tremens; secundum autem exemplum nobis ante oculos ponit delirium, quale Hoffmannus non nisi in alio potatori et nonnunquam post magnum terrorem in universali paralysi observavit. Alius casus, quo morbi symptomata magis etiam similia erant iis, quae in paralysi inveniuntur, nisi quod alkoholi intoxicatio momentum aetiologicum praecipuum esset, observabatur Sigiburgii anno superiore.

Cuius anni die XIV mensis Decembris receptus est Henricus Josephus R., 1L. annos natus, rhedarius Coloniensis. In familia aegroti insaniam heriditariam esse minime constat. Aegrotus puer semper bona valetudine fruebatur, diligentiam et sollertiam colebat et non nisi nuperrimo tempore frequentes refrigerationes sibi attraxit. Accedebat, quod res familiares, quippe quae minime florerent, aegre ferebat.

Die VIII mensis Decembris in insaniam magnitudinis (Grössenwahn) incidit, qua correptus quaecunque vel emenda vel sua esse vel magnam se argenti copiam acquisivisse putavit. Vehemens evasit et acerbus in alios inquietus, insomnis. Cuius rei causae in eo collocatae esse tum ferebantur, quod de vita sustentanda laboraret, postquam propter saccum tuberum solani tuberosi furtim sublatum loco quem tenebat, remotus timuit, ne in vincula publica deiiceretur. Brevi post insania erupit; aegrotus currum quendam, qui quam vilis esset ignorare non potuit, nimis magno

pretio emit; postero die symptomata supra dicta et destruendi cupiditas apparuerunt. Ad quae accessisse dicit aeger tinnitum et dolorem aurium. Hallucinationes minime animadvertuntur. Dicendi facultas et linguae mobilitas non impedita, quamquam matutino tempore linguam plane rigere aegrotus narrat. E dorso et pectore dolebat, paullum quoque sanguinis at vero non tussi extractum e faucibus emittebatur. Cucurbitulae impositae sunt; percussio clara et plena; auscultationi nullus imponi potuit exitus propter vehementiorem inspirationem et exspirationem. In aegroti corpore reperiuntur haemorrhoides et in corona glandis nonnullae ulcerum syphiliticorum cicatrices. Animus mox agitatur mox ad flendum inclinat mox relevatus apparet. Tum divitiis opibusque abundare se et regia vel imperatoria dignitate ornatum esse aeger putans comitibus suis amplissima dona promittit; nam centum milia thalerorum se possidere animo finxit. Qua fictione inflatus iis, quibuscum versatur, mandata deferre studet. Somnus plane eum fugit; temperies capitis aucta; cupiditas destruendi et edendi permagna. Quae aegroti conditio quum per quattuordecim dies perdurasset, paullatim tranquillior evasit et inde a quo tempore quotidie in solium aquae tepidae per horam dimidiam de mittebatur. Mox vero animus modo relevatus modo ad lacrimandum inclinatus esse videbatur.

Die XXVIII mensis Decembris per vim sibi attulit contusionem brachii. Post tres dies in humero amplus furunculus apparebat, accedebat furor et magnitudinis opinio mmodica.

Die XV m. Ianuarii calidum balneum dabatur cum fomentationibus frigidis.

Die XXI Ianuarii mensis paralysis dextrae manus reperiebatur, quae quidem in vim electricam adhibitam reagebat, quare ordinantur balnea electrica cum specie aromatica,

Eiusdem mensis die XXVIII manus dextra fiebat oedematosa et acu puncta sensu quamquam carebat, attamen vim electricam sentiebat.

Die XXX simul cum magno appetitu ciborum magnam aeger prae se tulit immunditiem; sphincteres resolutae apparent; aegrotus urina et faecibus se inquinat, quae sine eius voluntate profluunt.

Die III. m. Febr. oedema evanuit.

Die XII flexores dextri brachii fluxu electrico adhibito minime moventur.

Die XII. m. Mart. magnitudinis fictae mania paullatim diminuitur; quum antea quinquaginta cursus et centum, nuclia thalerorum possideret, iam nunc non plus viginti currus et quinquaginta nuclia thalerorum hereditate se possidere dixit. Ad haec tranquillus est mentisque satis compos.

Die XV aegrotus febri et diarrhoea vexatur lacrimisque interdum temperare non potest. Postero die pulsus 120; respiratio 28; in laeva et inferiore tergi parte respiratio aucta sonusque percussionis debilis.

Die XVIII pulsus et respiratio naturaliter se habet; sputae rubiginosae animadvertuntur et a tergo leves supressiones sonitus percussionis et aegrotus tussi et sudore laborat.

Die XIX iam unum tantum modo currum — „Omnibus“ — possidebat, moderatus est et in lecto se continet.

Rp. tart. stib. gr. I
aq. dest. ℥ VI
D. S. 2stdl. 1 Esslöffel.

Rp. Spirit Iunip ℥ VIII
D. S. Zum Einreiben.

Die XXIV aeger tussire et spuere desiit animumque praebet sedatum.

Die XXVII aegrotus iam non proprio curru vehere putat morbique exordium cepisse indicat ab ictero et multa sudatione.

Die XXXI magnitudinis fictio plane evanuit.

Die I April. fricatio datur,

Rp. spirit. vini
aq. dest. aa ℥ VIII

Die XII m. Mai. faredagisatione per quattuor hebdomada continuata sensibilitas dextrae manus restituta et virium corporisque motionis facultas in melius conversa est.

Die XXI aegrotus melius se habet et occupari potest, colorem quidem faciei gilbum, parvulum tremorem inferioris labii pupillamque laevam paullulum angulatam prae se fert.

Die XXII reconvalescens, dum aegrataverit, tamquam ebrium et vino impletum fuisse dicit causasque aegrotationis repetendas esse confirmat a perpetuis refrigerationibus.

Die VIII Jun. aegrotus res quaslibet manu retinere iam potest; faridisatio prolongatur.

Die VIII Jul. m. vir plane sanatus demittitur.

Quod ad psychicam huius morbi partem attinet id praecipue dignum est, in quod animum inducamus scilicet quod delirium magnitudinis opinionis profectum a peculiari signo cupiditatis furti et sumtus faciendi usque ad ideam infinitam possidendi omnium rerum et earum potissimum, quae animo maxime subiectae erant, currorum, pecuniae, deinde summorum honorum, dignitatis regiae et imperatoriae progrediebatur una cum apertis somaticis symptomatibus, quae similitudinem habent cum universali paralysi cum resolutio manus dexterae, sphincterum anus et vesicae ad erant. Ad haec accessit, quod iris in formam angulatam contracta est et tremor labiorum post praecedentem ad tempus linguae rigorem apparuit. Deinde considerandum est, quod recenti morbo somatico, scilicet pneumonia subiuncto, qui morbum a cerebro quasi declinat, magnitudinis mania paullatim et gradatim diminuitur, dum paralysis symptomata tardius desinunt existere et stadium delirii regressivum easdem fere praebet animi conceptiones ac prius stadium progressivum. Aegrotus ad sanitatem reversus statum apte describit, quum temulentia et ebriositate captatum sibi visum esse declarat.

Similia symptomata psychica coniuncta cum maiore etiam magnitudinis mania in S S. Aquensi viro annorum XXXIII observabantur. Is quidem postquam profusi pedum sudores non redire solebant, postquam solli:itudine et aegritudine animi admodum affectus paralysi correptus est, quo ad horam mente et sensu privatus est, quae autem, quum non nisi resolutionis et linguae affectae symptomata adessent nihil aliud ac acuta sanguinis congestio ad cerebrum videbatur esse, et postquam gravem in se converterat refrigerationem, subito prae se tulit symptomata furoris et excitatio nis veneriae, quae in maniam magnitudinis degenerabat, quae nullis finibus circumscriptus esset.

„Ego sum deus“ aegrotus exclamabat Sigiburgicem deportatus. Adhaec accedebant vehementissimae hallucinationes et aegrotus omnino non desiit enumerando magnas pecuniae copias percensere. Pro sudore pedum retento fortis et gilvus subiit narium catarrhus. Aegrotus voluntaria ciborum abstinentia omnia debilitatur in meliorem statum mox rediit, quum decubitus in regione dorsali appareret. Admodum immundus erat aegrotus, lotio substillo laborat, oculos in solem defixos habet ad videndam, ut putat, uxorem. Corporis autem viribus auctis aegrotus paullatim ad saniorem mentem rediit, quamvis delirium interdum magnitudinis maxime ad corporis vires refert, bovem se posse prosteruere contendit etc. Multis sudoribus nocturnis effusis ad mentem rediit ad deliberandum aptiorem, conqueritur de commora-

tione in nosocomio, at vero brevi sedatur animo et cum multis lacrimis flagitat, ut venia detur vehementiae suae. Id commemoratione dignissimum est, quod non nisi adumbratas animo menteque concepit intelligentias de situ regionum earum, quas notissimas ei esse opportebat. Post nonnullos dies rerum recordatur, quae morbo praecedebant; ex ebrioso quasi statu reviviscit. Die IV. Iunii mensis sanatus demittitur et I. die Ianuarii derectori nosoconii gratias egit per litteras prudenter et considerate conscriptas.

Hic quoque morbus praebet symptomata similia iis, quae in deliorio alcoholi animadvertuntur, quamvis morbi causae potius referendae sint ad sanguinis coagestionem acutam ad cerebrum, quae laboribus animi et corporis, refrigeratione, pedum sudore remisso exorta est. Praeterea symptomata somatica universali paralysi similia, quae vim exercebant non nisi in resolutionem sphincterum vesicae et facultatis in solem introspiciendi, omnino non aderant. In hoc morbo vim rheumaticam praevalere ex eo concludi potest, quod aegrotus fortibus sudoribus effusis reconvalescere coepit.

Cum his casibus is rarissimus quidem coniungendus est in quo non invenitur delirium magnitudinis maniae, sed potius necordia symptomatica et in quo plumbi intoxicatio aucto intoxicatione alcoholi symptomata paralystica excitabat.

Joh. Guilelmus Schmalz annos LVII natus ex Wege vico prope Eberfeldiam sito. Parentes minime mente laborabant; pater annos LIII natus sanguinis profusione periit, mater LX annos nata morbo trium annorum confecta mortua est. De iuvenili aegrotantis aetate nil notum est. Annos XL natus uxore ducta, magnam in opere quotidiano sollertiam praestabat; verborum erat parcus, rei venereae minime studiosus, religionum negligens. Sex annos post uxorem ductam Elberfeldiae in officina cerussae labores suscipiens globas et tabules plumbi fundere et suspendere coepit.

In hoc aere plumbario omnes nervi contendebantur; merces parva, quo factum est, ut aquae vitae multum biberet aegrotus noster. Frequentes impetus colicae plumbi adhibitis medicaminibus ventrifluis celeriter desinere solebant. At vero nonnulli eius modi impetus tantam habebant vim, ut aegrotus in terram decideret menteque captaretur. Infirmitas brachiorum et crurum, maior in dies macies, frequens totius corporis tremor subsequebantur.

Die I. m. Octobr. anni MDCCCLXI quasi attonitus humi prostratus venaesectione tantummodo ad mentem revocatus est; convulsiones deinde exortae mox cesserunt medicaminibus purgativis. Quattuordecim dierum spatio praeterito ita iam restitutus erat aegrotus, ut solitas labores subiret.

Die II Maii mensis anni insequentis nova impetu affectus mento conturbatus est, totus corpore brachio praesertim sinistro trepidavit confuse et perplexe locutus est. Deinde furor quattuordierum cum obliterata percipiendi vi oedema in inferioribus extremitatibus, pupillarum inaequalitas, inclinatio ad alvum constrictam, parva corporis temperies animadversa sunt. Curatio haec erat: Cataplasmata frigida, medicamina ventriflua et diurrhetica. Cum postea aegrotus in nosocomium Sigiburgiense receptus esset, diarrhoea vehementi cruciatus est, quem subsecuta est fortis ascites et anasarca. Appetitus ciborum omnis permansit; diarrhoea cessit decocto Ratantiae dato simulque oedema crurum evanuit.

Aegroto accurate perquisito haec inventa sunt: caput naturaliter formatum est; circa utramque corneam arcus senilis, faciei color pallidus, lividus; pupilli bene reagunt; membranae pituitariae pallidae, dentes ad magnam partem boni et in funde fusci sunt; praeter dentes aeque ac in gingivis maxillae superioris magna et caerulea margo invenitur; Linguae proiectae trepidat sermo a puero gravis et tardus, gustus purus est et antea per longum tempus dulcis fuisse dicitur. Cutis est arida laxa, livida! musculi laxi atrophici in brachio dextro crassissimi. Aegrotus brachium dextrum humeris admovere non potest, etsi manuum vis satis fortis invenitur. Brachium non nisi lente et passim producitur; ut digiti producantur, fieri omnino non potest. Cutis brachii dextri fluxu inducto ad naturaliter movetur, eiusdem autem brachii latus extensorium minus movetur et extensores omnino non moventur; dexter triceps paullulum tantummodo fluxu adhibito afficitur. Facultas contrahendo-

rum extensorum brachii sinistri diminuta est, flexores contra fluxu modice adhibito facile contrahuntur.

Extensio cordis percussione instituta quattuor centimetra longa est a quarta usque ad sextam costam in latitudinem a sinistro sterni margine usque ad lineam mammilarem. Cuspidis pulsus inter quintam costam et sextam et levis flatus inter primum sonum sub sinistro ventriculo repetitur. Pulsus languescens 96. Sonus carotidum puri sunt. Tussis levis paullulum pituitae trahit A posteriore et laeva parte in medio posteriore margine sinistrae scapulae sonus percussionis languidior est, quam a parte dextra; item pectoris fremitus languidior a parte laeva quam a dextra. Respiratio vesicularis in universum est fortis in superioribus lobis levis coniuncta cum murmure catarrhali alternante. Venter intentus et inflatus est, quo impresso sensibilitas augetur. Iecoris extensio a quinta costa usque ad infimae costae marginem se porrigit. In positione tergi ab umbilico ad dextram et sinistram sonus tympaniticus tredecim circa centimetrorum est — extensio ventris inter singulas spinas ossis ilei sup. est circa 51 centimetrarum inde a qua parte inanis est sonus-

In positione laterali ad dextram et laevam sonus vacuus in umbilico incipit. Extensio lienis parva. Desiderium cibi bonum; alvi deiectio modica, pulticulae similis. Urinae quae quidem colorem candidum neque materiam albuminosam praebet, secretio parva est. Aegrotum somnum bonum capere solet et dolores capitis etsi non vehementes interdum conqueritur. Accedit, quod non amplius angitur, sed hilari et contento animo sperat fore ut mox in pristinam valetudinem restituatur et gaudet, quod ciborum cupiditas satis bona sit. Aliorum autem rebus minime afficitur et quod ad memoriam numerorum vel temporum, quibus quid gestum sit, attinet valde infirmo animo est; attamen nonnulla accurate enarrare potest ut occupationis prioris modum res familiares etc. adhaec omnes fere vires psychicae debilitatae apparent.

Quum originem aegrotus accepisset a parentibus infirmis et aquae vitae maxime indulsisset, dispositio ad plombi, intoxicationem aucta est neque minorem, ut Tanquerelius saepissime observatum esse refert, vim ad homines plumbo inficiendos habent importuna regionis conditio et penuria alimentorum. Plumbi dyscrasia universalis qualis quin noster, de quo agimus, morbus statuendus sit dubium non est, encephalopathiam, paralysis symptomata tabesque in morbi decursu adduxit. Psychosis formam stupiditatis assumpsit, Quare prognosis in universum infausta esse debet, quamquam negari omnino non potest, fierri posse, ut aegrotus sanetur. Therapia primo tempore in urinandi exercitatione ad normam dirigenda constat, cuius rei efficiendae causa levia medicamina purgativa, accurata diaeta, caro ius carnis, cerevisia amara ordinantur. Ad nervorum nutritione dirigendam China, fluxus inductionis in dextrum brachium paralyticum et balnea sulphurata adhibentur. Quum aegrotum die XX mensis Septembris postremo videremi eius conditio et phsychica et somatica paullo melior esse videbatur.
Huius plumbi intoxicationem in nostris regionibus perraro observatae symptomata magnas habent similitudines cum venificio, quod alcoholo exoritur, quare, de quo egimus morbus intoxicationibus alkoholi inseri potest. Tanquerelius iam haec profert: S'ivresse, le delirium tremens le narcotisme, l'empoissonnement par des substances narcotico-acres, ont des analogies avec la maladie de plomb v. p. 340. Tanquerell: „Maladies de plomb."

Ut in hominibus alcoholi narcosi absumptis in cerebro alcohol causa movens pro certo cognoscitur, ita plumbum quoque in cerebro et medulla spinali inventum a Tanquerellio ante oculos poni potuit. Incitatio quam plumbum efficit, et chemica et mechanica est atque cur morbi symptomata in cerebro non nisi post praemissam colicam appareant, ex eo facile perspicitur, quod maior plumbi pars resorptione per intestina et arterias asperas organo cerebrosspinali affertur. In quod si satis magna plumbi copia

congesta est, fieri non potest, quin medulla oblongata incitetur et convulsiones existant, cum qua non raro, ut in epilepsia dementia coniuncta est

Ut in plumbi veneficio sine perturbatione psychica paralytica potissimum symptomata cernuntur, ita quoque sese res habet in plumbi venificio cum perturbatione psychica. Tanquerelius in mentis perturbatione ex plumbi venificatione profecta distingui vult formas:

1) forma deliriens;

2) forma comatosa;

3) forma convulsiva

quam postremam iterum dividit in formam convulsivam et epilepticam.

4) Omnes tres formae coniunctae — ad quem casum morbus quoque, quem supra descripsi, referendus esse mihi videtur.

In prognosi statuenda quamquam id praecipue videndum est, ut cognoscatur, quamdiu aer plumbarius ab homine aegrotante sit ductus, attamen plerumque, nisi forte epilepsia praevalet, in spem venire possumus, fore ut aegrotus sanetur. Quam hac de re sententiam a Tanquerelio multis exemplis confirmatam invenimus. Quapropter equidem hic, de quo egimus, morbus quippe qui similis sit nonnullis casibus a Tanquerelio observatis, fieri potuisse ut sanaretur, nisi forte alia momenta infaustissima accesserunt, scilicet commoratio undecim fere annorum in officina cerussae albae, frequentes impetus colicae plumbi, consuetudo alcoholi bibendi' aetas viri provecta corporisque eius infirmitas. In eo autem cum Tanquerelio consentire certe possumus, quod paralysis symptomata coniuncta cum perturbationibus psychicis, etsi sint similia paralysi generali, tamen abilla omnino segregranda sunt. Nimirum fit interdum, ut conditiones transitorias e plumbi dyscrasia in stadia maxime deplorabilia paralysis generalis semel et iterum existere videmus.

Alium casum, quem affectione syphilitica tertiaria ex ortam esse verisimile est et qui quum paralytica symptomata apparerent et aegrota sanaretur, pseudoparaliticis casibus adnumerandus est, quamque in nosocomio ad vesanos curandos, cui pater praeest, observavi iam afferam:

Mulier quaedam Meckenhemensis 53 annos nata, robusta, animosa, priusquam nuptam se dedit, inflammatione cerebri affecta est, qua cum simul coniuncta erat misera mentis conditio, quae quidem postea evanuit. Anno 22 nupta decem liberos peperit et bis abortum fecit.

Primo connubii tempore a coniuge syphilide infecta est, ulcera syphilitica in genitalibus apparuerunt, quae non nisi post longum temporis spatium remota sunt. Attamen duos peperit liberos, quibus pustula erant in unguibus digitorum et in cuti, quique paullo post partum mortui sunt. Filia eius decem et octo annos nata ex utroque oculo dolet, caeca et demens est. Ipsa mater iteratis impetibus luis tertiaria in dies auctae laborabat, qui autem curatione adhibita paullatim sedabantur. Nequicquam inde ab illo tempore pityriasis versiculor in abdomine adest, quae referenda est ad illam dyscrasin.

Addendam est quod tempore, quo in matrimonium data est, typho correpta est, ex quo autem mox reconvaluit.

Initio anni 1858 post amissam litem in vehementissimam incidit animi commotionem. Deinde die 16 mensis Februarii mane, quum iam per nonnullos dies capitis doloribus male affectus esset, subita animi abalienatione et paralysi dextri lateris oppressa est. Somnum omnino capere non poterat et concupiscentia ciborum deerat. Animo inquieto et vago agitata dei gratiam efflagitabat et liturgias sacras procurabat et insomniis perdurantibus nutrimenta ac vestimenta effascinata esse putabat.

Inquietas quam maxime aucta est; aegrota clamores edebat terramque pede pulsabat. Quum iam biduum cibi nihil et triduum somnum omnino non cepisset, in nosocomium a patre meo Bonnae institutum recepta est. Mulier non nisi in cubiculo iacere poterat, uno tenore de fascinatione vestium, pulvinorum et ciborum loquebatur, rubescentes baccas oculosque caligantes et pulsum acceleratam prae se ferebat, de se ipsa fere nihil referre poterat famuli autem, qui aderant, mandata perpetuo data non satis celeriter exsequi poterant. Saepissime fiebat, ut quum, quae modo se velle aegrota dixerat nondum exsecuta erant, alia iam mandata famulis deferret. Cataplasmata frigida et medicamina purgativa ex aqua lascativa primum adhibebantur; deinde dabatur opiam cum acid. boruss. Posteriore die somnum cepit, quo per decem horas non interrupto ciborum desiderium aderat. Paullo postea ad se redibat aegrota et iam vitam priorem ex ponere poterat. Non ignorabat, quo esset neque quod in nosocomio esset, aegro ferebat. Pulsus numeris normalis erat neque acceleratus. Curatione eadem continuata et diaeta corroborante adhibita inde usque ad diem 17. mensis Apriiis ad mentem admotum sanam redierat; at vero paralysis membrorum eadem permansit. Ad tempus dolores capitis et perturbatio mentis apparuerunt, medicaminibus autem quae supra dixi, adhibitis evanuerunt. Inde a quo tempore paralysis et dementia paullatim in melius conversae sunt, ita ut ambulari posset mentisque functiones fere normales existerent.

Pie 25. mensis Septembris nosocomium reliquit et per biennium Coloniae vixit.

Nonnulli viri, qui summa in arte medendi fruuntur auctoritate, — vide: Griesingerus in libro suo, qui inscriptus: „Pathologis und Therapie der psychischen Kranheiten". p. 246. — analogiam inter paralgsin generalem dementiamque illa coniunctam animum intendunt, quam rem et alii — Lasègue: gén. 1853 I. p. 49. et Bayls: Ann. med.

psych. 1855 VII. p. 423 quam maxime circumspicienda esse iure contendunt. Nihilosecius casus, quod supra descripsi, quum alcoholi et plumbi intoxicatione partim quidem exortos esse constet, symptomata tam propria et paralysi generali similia praebent quae, quod ad rem psychicam attinet, praecipue cernuntur in magnitudinis illa mania coniuncta cum apertis somaticis symptomatibus paralyticis, ut a paralysi generali plane separari non possint. Tales status partim sunt formae transitoriae partim, si veneficium intensivum sanguinis et cerebri adest, in paralysin generalim transeunt.

Similis erat conditio adolescentis decem et octo annorum, quem observavi in nosocomio Sigiburgiensi. Qui pro aetate admodum magnus et robustus quum antequam aegrotaverat, cerevisiae nimis indulsisset, symptomata stupiditatis symptomaticae cum commotione ad tempus coniuncta praebebat. Aderat trepidatio linguae, magna pupilla, paralysis sphincterum vesicae et ani, immunditia magna; saepissime sui non compos erat. Tempore commotionis motus vehementer palpitantes brachiorum et crurum apparebant. Sic aliquando tamquam ex gravi somno ex pergefactus ex fenestra septem fere pedes alta in aulam desiliit. Istis temporibus excitatio permagna erat, aegrotus rubescentem et tumidam, temperiem auctam prae se ferebat et paullo post in statum apathicum et stupidum recidit. Item Schmalzii morbi quam supra proposui imago, quum paralysi generali simillima esset, formam transitoriam intoxicationis et si a plumbo profectae alkoholo autem auctae ad paralysin generalem praebet. Quod imprimis cognoscitur, si rationem habemus somaticae morbi partis, quum, ut supra vidimus, impetus mentis absentiae convulsiones subsequentes et paralysis brachii dextri antecederent mentis morbo. In Schmalzio illo primum impetus furoris observabantur, quos secutum est stadium melancholicum, quo postremum stupiditas symptomatica exorta est.

In iis, quas proposui, morborum imaginibus quum eventus paullatim progrederentur et hi intoxicationis morbi non nisi in decursu possent distingui a paralysi generali et eo potissimum, quod alii, curabiles, incurabiles alii sunt quodque stadium quasi praecedens paralysis generalis esse videntur, equidem eos morbos a paralysi generali esse separandos et propter similitudinem, quam habent cum paralysi generali, appellandos esse putavarim „pseudoparaliticos“.

VITA.

Natus sum Alfredus Albers Bonnae, patre I. F. Herrmanno Albers, professore in ordine medicorum ordinario, matre Sophia e gente Butte, a. MDCCCXXXVII. Fidem confiteor evangelicam. Primis litterarum elementis imbutus gymnasium Bonnensem adii, tum a MDCCCLVI in archigymnasium Susatensem, directoribus Patze et Jordan florentem me contuli, unde a. MDCCCLIX cum testimonio maturitatis dimissus sum. Deinde aestate eiusdem anni me ad hanc almam studiorum matrem Bonnensem contuli, civiumque academicorum numero adscriptus sum Rectore magnifico Ottone Jahn, Decano spectatissimo Guilelmo Busch, ubi per quatuor annos et quod excurrit, philosophicis et medicis studiis me dedi. Ex eo inde tempore interfui praelectionibus virorum illustrissimorum: Schultze, Pflüger, M. J. Weber, Schacht, Troschel, Noeggerath, Bischof, Plücker, de la Valette-S.George, Kilian, Naumann, Busch, Saemisch, Wutzer et patris carissimi, quibus omnibus viris de me maxime meritis gratias, quam possum, maximas habeo semperque habebo.

THESES.

I. In quaestione de infanticidio docimasiam pulmonum respiratoriam semper anteferendam esse natatoriae.

II. Laryngoscopiam ad morbos quosdam laryngis cognoscendos subsidium optimum.

III. Syphilidem iam temporibus antiquissimis exstitisse auctores veteres satis comprobare.

IV. Exploratione secretionum chemicam in actione medicamenti indicationem usus eius poni non posse.

V. In glaucomate iridectomiam adhibendam esse.

VI. Methodum exspectivam in secundinarum remotione reiiciendam esse.

VII. Fundamentum psychiatriae esse notionem morborum cerebralium.